


4/2002

KALENDIS OCTOBRIBVS

MMII



RVMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 145

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europae terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:


UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Iam autumnus advenit, et inter multa alia, quae hoc anni tempus affert, venandi quoque tempus adest. Itaque, si vobis placet per silvas ambulare vel currere vel cum canibus vestris ire vel boletos colligere, cavete! Scilicet fungos venenatos cavendum est, ne cena fungina inopinate in cenam funebrem mutetur, sed alia quoque pericula nunc imminent. Nolite vestimento colorum fuscorum, fulvorum canorumque vel ferarum pellibus simili induti in silva versari! Quibus de causis id faciatis, quaeritis? Ut illud proverbium Vergilii poetae 'latet anguis in herba' deflectam: Latet venator in silva! Inter venatores autem sunt, qui adeo sclopetomania, id est furore sclopetandi¹ et venandi, capti sint, ut in omnia, quae paululum ferae alicui ad venandum aptae similia esse videntur, sive moventur an non, sclopetent. Itaque accidit, ut, quod minus gravius est, illi cupidine venandi furentes non modo truncos arborum, lavabra robigine obducta vel aliam supellectilem et scruta, quae pristini possessores sumptus ablationis² legitimae vitantes in silvis deposuerunt, sed etiam casas silvestres, tecta, fumarua³, saepes, palos, tabulas viae plumbo traiciant. Gravior est res, cum ab illis furiosis homines errore apros vel alias feras putati vulnerentur, et exempli gratia aliqui colligens boletum capturus se demittens subito, si tamen Fortuna in rebus adversis ei est, vita servata globulis plumbeis in culo vel aliis corporis partibus percutitur. Gravissima autem res est, si homines nihil mali opinantes in silva pro refectioe requiem aeternam nanciscantur.

Talesne fabulas temporum diu praeteritorum esse putatis? Minime! Audite exemplum! Nuper in actis diurnis Bernensibus aliud exemplum furoris venatorii legi: In Normannia (Normandie) in Francogallia sita homo quidam corvos venari voluit. Sed pro corvis in electricductu tensionis magnae⁴ sedentibus separatorem⁵ electricductus plumbo delevit et ita corvis salvus mille fere familias commeatu fluidi electrici aliquantum temporis interclusit. Paulo post agricola eiusdem regionis unam ex vacis suis sclopeti⁶ globulo in capite percussam esse animadvertit.

In praesidio ab custodibus publicis interrogatus ille venator iners confessus est se apud viam publicam exercendi causa in nonnullas lagenas vacuas telum direxisse⁷ et sclopetavisse, sed pro lagenis illam vaccam miseram percussisse.

Itaque cavete, cari legentes, ne quid detrimenti capiat! Id et – imprimis – vobis et RUMORI VARIO saluti erit. Quid hoc? Die 7^o mensis Septembris concilium anniversarium in vico nomine Elgg habuimus. Hac occasione animadvertimus numerum RUMOREM VARIUM subnotantium minuisse. Semper mutationes factae sunt et fuerunt, qui causis variis RUMOREM VARIUM non iam subnotarent, vicissim novi lectores advenerunt. Quae nunc quoque fiunt, sed numerus subnotationem RUMORIS VARIUM renuntiantium maior est quam novorum subnotantium. Itaque unumquemque et unumquamque legentium fidelium nobis superesse oportet. Pergatis, quaesumus, RUMOREM VARIUM legere et nobis adsit etiam novos legentes et subnotantes invenire, ne numerus porro minuatur. Nos – vobis symbolis vestris nos adiuvantibus – semper operam dabimus, ut RUMOR VARIUS aliquid gaudii affert!

Itaque nolite oblivisci nostri argumenti libelli 5+6/2002: De pingendi arte symbolas, sive scriptas solum, sive imaginibus exornatas, nobis mittatis, si fieri potest usque ad Kalendas Decembres. Omnia opera vestra ante Kalendas Graecas publicata iri promittimus! Faveat vobis Fortuna!



- 1) sclopetare (in)
- 2) ablatio,-onis f
- 3) fumarium,-i n
- 4) electriductus,-us m magnae tensionis
- 5) separator,-oris m
- 6) sclopetum,-i n
- 7) telum dirigere in

schliessen (auf)
Entsorgung
Schornstein



Hochspannungsleitung
Isolator
Gewehr
zielen (auf etw.)

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

Proverbia Hispanica



Quien inventa la ley, inventa la trampa.

Ille qui legem invenit, copiam effugiendi callidam quoque invenit.

*

Sabio en el latín, tonto en castellano, estudio vano.

Sciens linguae Latinae, inscius linguae Castilianae (vel Hispanicae) - studium vanum.

*

Año hortelano, mucha paja y poco grano.

Annus olitoris, multum stramenti et paucum grani.

*

Al bien, buscarlo; al mal, esperarlo.

Bonum inquirere, malum opperiri.

*

Donde menos se piensa, salta la liebre.

Eo loco lepus salit, ubi minime putatur.

*

Hablando se entiende la gente.

Loquendo populi comprehenduntur.

*

Piedra movediza nunca la cubre moho.

Lapis mobilis numquam situ tegitur.

*

Di tu secreto a tu amigo y serás siempre su cautivo.

Enuntia secretum tuum amico tuo, et semper captivus eius eris.



Año de ovejas, año de abejas.

Annus ovium, annus apium.

*

Hablar de la guerra y estar fuera de ella.

Loqui de bello et procul esse ab illo.

*

De mal en peor.

E malis in peiora.

*

El que no sabe de bien, no sabe de mal; y el que no sabe de mal, no sabe de bien.

Ille, qui bonum nescit, malum nescit; et ille, qui malum nescit, bonum nescit.

*

Del dicho al hecho hay un gran trecho.

A dictis ad res gestas via longa est.

*

La necesidad carece de ley.

Necessitas lege caret.

*

Dificultosamente se guarda lo que a muchos agrada.

Difficile servantur, quae multis placent.

*

Es peor el remedio que la enfermedad.

Remedium morbo peius est.

*

De tu enemigo, el primer consejo.

Ab inimico tuo primum consilium.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



Quomodo Richardus Strauss Iosephusque Gregor fabulam Daphnes antiquam interpretati sint

(Altera pars)



Ut iam transeamus ad operam theatralem, quae *Daphne* inscribitur, Gregor textum *Daphnes* animi inflammatione quadam vera atque sincera se composuisse dixit, quem Richardus Strauss repudiavit his verbis:

Talibus rebus, quae in praesenti Homericis ut ita dicam sermone, quem non omni tempore bene imitatus es, evolvuntur, ne centum quidem homines allicientur, ut spectatum veniant.

Simul postulavit, ut Gregor omnes sententias, omnia verba iterum atque iterum velut lima poliret omniaque recenseret, ne quid superflui neve inconsulti restaret, quas adhortationes vituperationesque Iosephum Gregor aegre tulisse verisimile est; sed paulatim amborum consilia modo bifida inter se congruebant et viri illi de arte musica optime meriti fabulam, quam supra paucis verbis reddere conabar, iunctis viribus composuerunt. Inde magis magisque Strauss consilii poetae adnuit et pro certo habuit

novam lineam, quae inde appareret, rationem iustissimam esse, qua Daphne lumine quodam obscuro circumfulgeretur; quo lumine Daphnae opus esse, ut manifestum fieret, primum quomodo Daphne ipsa naturae esset fataliter coniuncta, deinde quantum et in homines et in deum forma humana indutum sensibusque humanis imbutum peccavisset.

Iosephus Gregor igitur, quoad fieri potuit, oboedivit, textum ex voluntate Richardi Strauss recidit, *Daphnes* cum matre colloquium inseruit. Denique ambo finem operae radicitus renovaverunt. Scripsit enim Richardus Strauss haec:

Die dominico Clemens Krauss nos visitabat unaque consensimus novissimis verbis ab Apolline decantatis nemini in scaenam prodire licere nisi Daphnae, neque Peneo neque cantoribus neque choro, ne fiat drama musicum quasi sacrum, quia rebus talibus omnia comminuerentur. Immo vero Apollinem verba novissima reddentem intuens Daphne stupefacta surgit a corpore Leucippi exanimato; deinde, postquam Apollo abiit, Daphne aliquantum progressa, ut illum sequatur, subito tamquam radicibus retentata consistit. Exinde mirum in modum lunae radiis affulsa, nihilo minus maxime conspicua, paulatim mutatur.

Cui consilio Gregor adnuit, et anno insequenti ludum de Daphne musicum edendum curabant. Cum Gregor vestimenta quaedam archaica postularet, Strauss contra scripsit:

Nullo pacto fieri potest ut Daphne, quam naturae coniunctam depinxisti, tamquam Diana quaedam archaica appareat.



Idibus denique Octobribus anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo octavo Dresdae *Daphne* summo plausu omnium, qui aderant, data est. Cui melodramati auctores titulum tragoediae bucolicae addiderunt. Paucis verbis nunc disseram, quibus rebus *Daphne* cum ceteris dramatis Richardi Strauss musicis coniuncta sit. Etiam hoc in melodramate compositor ille rem quandam tractat, quae ei semper valde cordi erat. Saepenumero enim Strauss non modo intra se ipse, sed etiam spectatores interrogabat, quid in artibus liberalibus esset maioris momenti: verbane an melodiae? In melodramate suo ultimo, quod nunc *Capriccio* inscribitur, Strauss eandem quaestionem tractat, poeta quodam atque melodiarum inventore inter se certantibus, ut sua quisque arte sit mulieri cuidam iudicanti gratior. Quae quaestio etiam hoc in melodramate magni momenti est, etiamsi Strauss eam non verbis amplectitur. Intueamur ergo finem huius melodramatis, ubi Daphne, postquam omnes homines obmutuerunt, voce sua primum verba paucissima, deinde nil nisi sonos tenues tamquam instrumento quodam effectos edit, qui una cum fidibus concinentibus, qui folia vento leniter agitata

denotant, paulatim conticescunt. Iam pridem cum Daphne soli cedenti valedixerat, vox puellae mirifice modo musico instrumentali quasi intexta erat. Musica igitur vocalis denique in modos instrumentales transformatur; qua re Strauss demonstrat Daphnen radicibus mutatam esse eiusque vocem abisse in folia dulce susurrantia.

Nunc ad initium melodramatis redeamus. Quo ludo musico ineunte haud sine consilio auctor tantummodo instrumenta lignea adhibet, quibus anticipat cum Daphnes erga arbores amorem tum eius in arborem mutationem. Melodiae primum simplices e sonis sunt compositae, quae harmoniam quam dicunt trisonam efficiunt, quibus Strauss imprimis Daphnen denotat; mox soni illi amoeni mutantur praesertim cornu Alpino vehementer inflato, quo sono raucissimo Peneus pastores et piscatores ad diem festum celebrandum invitat.

Pastores tum gaudentes vesperum exspectant. Dum boves domum agunt, de tempore coeundi loquuntur, cuius initium illo die celebratur. Vox autem coeundi hoc in melodramate magni momenti est, quia homines omnes, animalia omnia, immo vero natura omnis nihil est nisi coniunctio quaedam elementorum diversorum, quae inter se commixta temperantia quadam egent, ut sint stabilia. Duae igitur animae omnibus in animalibus vigent, quarum una non potest esse sine altera et quae interdum inter se confligunt deque via certa hominem detrudere temptant. Quibus motibus diversis etiam Daphne sollicitatur, quia fontes, flores, arbores inertes luce solis contentas ventisque leniter afflatis plus amat quam homines ceteraque animalia, quibus insunt libidines atque nimiae licentiae. Itaque verbis amantissimis soli cedenti omnia igne suo animanti valedicit. Daphne autem mihi attacta esse videtur pietate quadam ac religione illius simillima, quam Sanctus Franciscus Cantico illo celeberrimo, quod et *Laudes creaturae* appellatur, exhibuit, in quibus arbores, nores, fontes fratres suos appellavit. Daphne enim solem verbis adit, ne cedat neve lucem suam auferat; nam puella diem festum, quo Bacchus celebratur, imo ex corde odit. Sed luce nihilo minus evanescente sub tegmen arboris cuiusdam confugit, quam dulcibus verbis alloquitur. Inde ex improvise Leucippus, qui post arborem latebat, in medium properat vociferans 'En, ego ipse fui arbor ista'; Daphne autem respondet regnum naturae hominisque regnum inter se discordare: Leucippus contra invidus interrogat, num quid divini seminis sit modo arboribus, fon-

tibus, floribus neque sibi ipsi insitum. Ad quae Daphne respondet se in pulchritudine formaque hominis splendorem naturae quasi repercussum videre. Inde Leucippus et amore et ira inflammatus triumphat, quod Daphne more maiorum ad sacra Bacchi sollemnia eo die celebranda cogatur speratque simul se Baccho adiuvante asperitatem puellae victurnum atque fracturum. Daphne inde a matre in domum vocata maesta respondet 'Pedes properant, ut obsequar, anima foris manet.' Gaea ipsa Daphnen cum arbore comparat: 'Filia, sarmentum es missum a me' sentitque simul filiam a se legibusque naturae abalienatam esse. Tamen non ignorat et illam olim naturae satisfacturam: 'Di aliquando te mihi terraeque reddent.' Daphne deinde, ut supra dixi, vestimentum a matre datum, ut sibi induat, reicit, quod ancillae iocantes paulo post Leucippo offerunt, qui vestimentum accipit, quo indutus Daphnen fallat. Vespero oriente Peneus familiam convocat Olympumque, quem procul luce solis rubentem videt, verbis laudantibus appellat, cum pro certo habeat terram non totam a dis relictam esse Phoebio Apolline tam diu lucem terris praebente.

Uxor eius, quamquam verba mariti vaticinantis illudit, attamen ipsa comota est; etiam pastores sollicitantur, quos Peneus pater invicem iridet. Risum autem omnes montes resonant, immo vero augent, ut pastores timore maximo afficiantur. Etiam boves perturbantur, dum pastores ad Gaeam confugiunt. Ecce olivetum propinquum rubris ignibus micare incipit, pastorum audaciorum risus in faucibus haerescunt, qui horrore affecti conclamant deum aliquem venturum verborum senis modo a se inrasi memores; tranquillitate subito facta pastor quidam ignotus appropinquat cum pastores tum senem verbis salutantibus alloquens. Quem pastorem Apollinem esse nemo nostrum nescit; at ignorant dramatis personae. Pastor ille dicit se taurum libidine excitatum secutum illuc venisse. Dubium non est, quin verba Apollinis, quae de tauro dixerit, ambigua sint. Quibus verbis deus confitetur se ipsum esse tamquam taurum prava cupidine flagrantem. Attamen a puella, quae eum iussu patris in domum acceptura est, impeditur, ne fraude absistat. Viget ergo etiam in deo illo, qui ante omnes deos hominesque verum cum colere tum servare solet, amor quidam mentiendi atque defraudandi neque aliter ac homines duas animas in praecordiis habere videtur, quae inter se discor-


dant. Cum ad genua puellae procumbit, quem habitum haud antiquum, sed Christianum esse nemo nostrum ignorat, deus puellam ut deam veneratur. Porro persuasum mihi habeo Apollinem deum a melodiae compositore donatum esse sonis propriis, qui differunt a melodiis vel Daphnen vel Peneum denotantibus, quia non ex talibus intervallis componuntur, quae harmoniam trisonam complent, sed ex quartis, quibus Strauss harmoniam quasi vagantem efficit, quae tamen numeris astrictis, ne dicam martialibus, continetur. Paulo post sonis tubarum argutissimis excitamur, quos inter sonos Apollo confitetur se eo die a Daphne diem lucidum imploranti, ne cederet, impeditum esse, quominus porro equos duceret, attamen etsi invitum iter se peregrisse radiumque tenuem se vidisse ad Penei domum viae instar se ducentem; exinde verba Daphnes repetit, quibus illa diem morari conabatur. Daphne autem, quoniam sentit desideria sua secretissima pastori ignoto plane nota esse, penitus commovetur, quia numquam quisquam prius consilia cogitationesque ipsius intellexerit, quae pastori illi notiores esse videantur quam sibi ipsi. Tamen nondum agnoscit pastorem non modo aliquem deum, sed solem ipsum esse, qui lucem, id est se ipsum, verbis hymnicis celebrat: 'Omnia' inquit 'animalia solem laudant, gaudent luce.' Sed ne nimis superbus videatur, etiam Daphnen auctricem luminis animantis celebrat, quam denique amictu suo caeruleo circumdat et osculatur. Fit subito commutatio harmoniarum melodiarumque tamquam lumine adempto. Instrumenta enim, quae canticum hymnicum sonis claris atque radiantibus ornabant, subito maiorem sonitum quendam et omni motu carentem, immo vero, ut ita dicam, pallidum atque rigidum reddunt, quibus Strauss demonstrat Daphnen pastoris falsi, qui se ipse fratrem appellabat, amplexu osculoque expallescere et rigescere, quia amorem alium expectabat ac illum, quem deus libidine captus in puellam exercet.

Werner Schubert
Heidelbergensis

(Dissertationis pars tertia in
proximo libello sequetur)



Σπουδογελοια



Nomen scriptoris
ad perpendicularum
leges, si verba
recte compleveris.
Macte animo!

Estelle GITTA



Memnisse dolebit. . .

Angusto vitae spatio iam paene peracto,
praeteritos annos respicimus miseri:
pro nobis alii interdum vixisse videntur;
nil quod ibi adgnoscat mens habet aegra suum.

Quid amico sincero rarius?

Quo senior fio, hoc melius cognoscere pergo
quam paucis hominum fidere conveniat;
bestiolae potius vicinia me iuvat, ex qua
nullum quippe scelus perfidiae timeam.

Ad duodevicesimum luliae, vivacioris puellae, natae
anniversarium celebrandum

Quid fuit ? E caelo tonitrum dat Iuppiter alto?

An terrae motus succutit omne solum?

Non ita: namque loquax genita est modo parva puella,
cui currens cedat nuntius ipse deum!

Ad Marcum Idum, confirmationis sacramentum annum
agentem duodevicesimum accepturum

Accipiunt vixdum nati baptisma puelli,
ut priscam maculam limpida lympha lavet.
Nunc confirmandae fidei iam tempus adultae
advenit, inceptum quo bene perficias.



Orestes Carbonero



FACETE LEPIDEQUE DICTA

Vigil publicus ex autoraedario, quem sine licentia vehendi vectum subsistere iusserat, quaerit: "Quod tibi nomen est, domine?" - "Boris Becker vocor, mi vigil!" Ad quae vigil furibundus: "Noli ineptias narrare! Nomen tuum correctum indices fac statim!" - "Bene, sit ita: Publius Ovidius Naso nominor." Tunc vigil: "Ecce, domine! Cur prima vice mentitus es?"

Materculae vetulae valetudinario egressurae medicus: "Bene domum redeas, domina, sed per tres septimanas tibi per scalas ascendere non licebit." Duabus septimanis peractis matercula medico telephonat: "Licetne mihi nunc per scalas ascendere? Secundum parietes in altum eniti enim satis incommodum est."

Vir amico: "Nunc caprum domi habeo. Primum propter foetorem dubiis premebar, sed nunc ille foetore assuefactus est."

Lanista gregi suo pedifollico: "Cras contra Russos ludemus." Lusor quidam: "Vae nobis, quia isti, quidquid movetur, calcant." Tum lanista: "Quae si ita sunt, vos nihil timeatis oportet."

Periegeta "Haec pyramis", inquit, "quinque milia et tres annos nata est." Ad quae mulier peregrina mirabunda: "Unde hoc tam caute et exacte indicare scis, domine?" - "Hoc facile dictu est: Cum tribus annis ante periegeta esse inciperem, eandem quinque milia annorum natam esse mihi dixerunt."



Amicus amico: "Genavae in deversorio optimo gratis edere, vinum bibere nec non pernoctare potes. Mane surgens trecentos francos Helveticos iuxta lectum invenies!" Tunc alter vix credens: "Num hoc vere tibi iam accidit?" Amicus: "Non mihi, sed uxori meae."

"Bene valere me sentio, itaque scire nolo, quomodo valeam."

Carola quindecim annos nata scholae non interest, ut amicum suum in eiusdem novum habitaculum adeat. Cum tinniverit, mulier quaedam iam provecta aetate portam aperiens eam oculis bene perscrutatur. Carola cito: "Ehem, illius soror sum." Tunc matrona: "Gaudeo, quod te tandem cognosco, filia. Equidem enim mater eius sum."

Magistra Ernesti matri: "Queri debeo de filio tuo, domina: Heri me magna voce vaccam vocavit!" Mater: "Eum vituperabo, domina magistra, nam ei compluries dixi homines non secundum formam esse iudicandos."

Clieus vexillorum venditrici: "Da mihi, quaeso, vexillum Helveticum viride!" - "Doleo, domine, sed vexilla Helvetica rubra et alba tantum venalia prostant." - "Tum ergo album emam."

Chang, iuvenis Sinensis mitis et bono animo, coquus est in nave oneraria. Nautae semper eum illudunt, sed is omnia subridens tolerat neque umquam queritur. Die quodam nautarum summus ei dicit: "Bonus et amabilis es, ergo te abhinc non iam illudemus." Ad quae Chang subridens: "Pactum sit! Equidem abhinc non iam in iusculum mingam."

In senatu: "Dic mihi, quam diu consul iam loquatur." - "Iam per horam integram." - "Et qua de re?" - "Hoc adhuc nondum dixit."

In pantopolio Annae flavicomae telephonulum gestabile tinnit. "Salve, corculum! Sed unde scis me esse in pantopolio?"

Filia parentibus: "Cum septimana proxima Marco nupsero, primum apud vos habitabimus, donec aliquid novi inveneritis."

Mercator apud notarium versatur, ut testamentum mutet. "Scribas velim, domine notari, me cremari velle, cum obiturus fuerim." Notarius: "Bene. Sed quid cineri tuo accidit?" - "Urnas cineris mei plenam magistratui vectigalibus exigendis mittas et inscribas: 'Nunc tandem omnia mea habes!'"

Mulier vates vultu severo: "Maritus tuus, domina, mox vi morietur." Uxor adnuit: "Et quid mihi accidet? Poenisne liberabor?"

Ancilla a domina interrogatur, num feles diligit. Ancilla: "Comedo, quidquid mihi apponitur."

Serlocius Holmes, indagator ille celeberrimus, et doctor Watson, amicus eius inseparabilis, nocte quadam in tentorio pernoctant. Media nocte Serlocius amicum expergeficit verbis his: "Quid significat caelum illud stellis refulgens?" Doctor Watson: "Astronomice significat in mundo miliones galaxidum esse, theologice significat Deum omnipotentem esse, meteorologice significat tempestatem serenam esse. Sed quid tibi significat, mi Serloci?" - "Mihi, o Watson significat tentorium nostrum furto abductum esse!"

Martin Meier

De principissa sapiente

Principissa sapiens a rege, qui terram finitimam regnavit et cui magna potestas erat, in matrimonium petabatur. Sed eum repudiare voluit. Id prudenter quidem principissae faciendum erat, quod suam civitatem in iram et inimicitiam vicini repudiati incurrere noluit.

Itaque ad regem dixit: "Perseverantia et amore tuo valde commota sum, et tu maritus meus eris. Sed oportet te antea laborem conficere, quem tibi nunc proponam."

Gaudio et fiducia imbutus rex respondit: "Dic, quid mihi agendum sit. Si ille labor alicui homini orbis terrarum perficiendus est, eum perficiam."

"Ergo" principissa ait, "i et conare tres res mihi investigare:

Primum: Opinionem praeiudicatam, quae ratione extirpata est.

Secundum: Tantam stultitiam, ut nondum homo alicui eam commiserit.

Tertium: Maledictum tantae impudentiae, ut nondum aliqua lingua eam repetere ausa sit."

Opinans id facillime perficiendum esse rex risit et imperavit, ut intra nonnullas dies omnia ad nuptias parata essent. Tum profectus est.

Rex ante mille annos profectus esse fertur, et illas tres res quaerens adhuc nondum revertit.....

Daniel Weissmann

«Vindica te tibi»



«Ita fac, vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur aut subripiiebatur aut excidebat, collige et serva», Seneca ad Lucilium scripsit. Etenim «quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt». Quis negaret? Oculos paulum coniciamus in praeteritos annos; maximam consiliorum partem, aequiore modo iudicio utamur, ipsi improbabimus, neque praeclarissima excipio munera: quae, cum splendiora sint, non tamen ideo magis cum ratione coniuncta sunt. Pleraque quae fecimus maturane cogitatione elegimus? ane ad ea potius inconsiderato quodam animi fervore accessimus, quo omnia solent consilia nostra moveri? Atque in rebus ipsis quibus maiorem nobis prudentiam attulisse videmur, quid tandem iudicavimus veram secuti rationem? An umquam cogitavimus quomodo res e gravissimis verissimisque causis ageremus? Aut quando id egimus, ut animum nostrum bene componeremus? quando spatium ad id sumpsimus, ut perspiceremus et qualem interiorem nostri partem esse oporteret et quamobrem his in terris moraremur? Amici vero, cupiditates, honores atque officia nostra, utilitates nostrae omnes, de quibus sapienter nullo tempore consulimus, nos semper rapuerunt; nec umquam impellimur nisi causis alienis. Sic effluit aetas inter innumera vanaque consilia et stultos mentis errores: ut prudentissimus quisque, cum prior ille animi ardor, qui terrestribus rebus iucunditatem addit, tempore iam consederit, saepissime miretur quomodo ad nihilum tantopere laborarit. Unde fit illud, nisi quod et ubi solida hominum officia posita sint et quo, verum sequentes, tendere debeamus parum intelleximus? Maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus.

Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat se cottidie mori? Numquam nos in praesenti tempore continemus. Sed aut futura ut tardius venientia praesumimus, cursum illo-

rum quasi festinantes; aut praeterita revocantes ut citius fugientia retineamus: adeo inconsiderati, ut in temporibus non nostris vagemur, hoc quod unum est nostrum neglegamus; adeoque vani, ut illa quae iam nihil sunt animo comprehendamus, hoc quod etiamnunc manet temere amittamus. Nam praesenti tempore plerumque offendimur. Quod, cum molestum sit, e conspectu nostro avertimus; aut si forte iucundum est fuga eius maeremus. Itaque futuro tempore praesens quasi confirmare conamur et animum ad hoc intendimus, ut eas res, quarum nobis arbitrium non datum est, ad id tempus componamus, quod an adepturi simus omnino incertum est.

Suas quisque cogitationes circumspiciat, nullas non inveniet aut in praeterito aut in futuro tempore defixas. De praesenti numquam fere cogitamus; aut, si quando hoc fit, ex illo nihil aliud nisi lumen sumimus quo futura ordinemus. Numquam praesens spectamus tempus; sed et praeterito et praesenti ad id utimur, ut futurum quod unum spectamus, adipiscamur. Ita numquam vivimus, sed fore ut vivamus speramus; et, quia nos semper ad beate vivendum paramus, necesse est beati numquam simus.

Estelle Gitta

RETROVERSUM



Estelle Gitta

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars septima

REA: Mi pater.

AEMILIANUS: Salve Imperator bene cenandi et feliciter meridiandi. Salvos sies, Imperator gallinarum et dispensator ova pariendi! Macte virtute esto, quem milites appellant Romulum Parvum.

ROMULUS *eum aspectat oculis acutis*: Tu es Aemilianus, sponsus filiae meae.

AEMILIANUS: Tu primus es, qui me recognoscat, Imperator Romule. Ne filia tua quidem me recognovit.

ROMULUS: Ne dubites de puellae amore. Senes tantum sunt sagaces. Salvere te iubeo, Aemiliane.

Imperator sub ianua considit in sessibulo.

AEMILIANUS: Reliqui custodiam Germanicam, Imperator Romae. Necavi milites, qui me custodiverant, occidi canes, qui me persecuti erant. Pedibus ad te veni. Auguste, permensus sum regni tui infinitam vastitudinem, miliarium de miliario, gradum de gradu. Vidi Imperium tuum, o pater orbis terrarum.

ROMULUS: Ex quo sum Imperator, non iam reliqui villam meam. Narra mihi de regno meo, Aemiliano.

AEMILIANUS: Strittabam per urbes destructas et vicos fumantes, pervadebam silvas concisas, incedebam per agros conculcatos.

ROMULUS: Perge.

AEMILIANUS: Videbam viros trucidatos, mulieres constupratas, parvulos fame absumptos.

ROMULUS: Perge.

AEMILIANUS: Audiebam saucios clamantes, captivos quiritantes, caupones abligurientes, lucripetas hinnientes.

ROMULUS: Quae narras mihi non sunt ignota, nam animo fingo.

AEMILIANUS: Animo haec cum fingas, pascis gallinas.

ROMULUS: Imperator manum retraxit a populo suo.

AEMILIANUS: Tu cum dolores noveris populi tui, nihil facis nisi habes cenam tuam.

ROMULUS: Imperator subditos reliquit.

AEMILIANUS: Cum Roma ceciderit, tu dormitas!

ROMULUS: Imperator regnum reliquit hostibus.

AEMILIANUS: Novistine hostes tuos, Imperator Romae?

ROMULUS: Imperator novit populum suum.

AEMILIANUS: Ergo fac noscas hostes tuos! En me ante te stantem, a gallinis plausitantibus ab aulicis tuis ridiculis circumdatum, inquinatum, verberatum, conculcatum, sub iugum missum necnon alio modo vexatum.

Cappam de capite suo rapit; stat cute capitis deglupta, sed ita, ut spectatores non videant rem atrocissimam.

REA: Aemiliane!

Patrem brachiis complectitur.

AEMILIANUS: Hostes tui mihi praefecto Romano, qui pacem amaveram et mentem plurimum valere credideram, qui clam ad illos venerat ad Germanos Romanis placandos, cutem de capite deripuerunt, o Imperator orbis terrarum.

ROMULUS: Imperator hoc videt, sed Imperator non cedit.

AEMILIANUS: I ad illum, a quo possideris, filia Imperatoris.

Rea lente redit ad Caesarem Runcinam.

AEMILIANUS: Filia tua facta est uxor fabricatoris bracarum, Imperator Romae, et Imperium tuum servatum est infamia mea.

Imperator surgit.

ROMULUS: Imperator hoc conubium non admittit.

Omnes stant defixi.

CAESAR RUNCINA: Atta!

REA: Nubam ei, pater. Tu me non impedies, ne servem patriam.

ROMULUS: Filia mea cedet voluntati Imperatoris. Imperator scit, quid faciat regnum flammis iniciens, diffringenda demittens, morti destinata conculcans.

Rea domum init capite demisso.

ROMULUS: Geramus officium nostrum, Pyrame. Cedo pabulum gallinarum. Auguste! Tiberi! Traiane, Hadriane, Marce Aureli! Odoacer!

Dextrorsum abit pabulum gallinarum dispergens, camerarii sequuntur.

Omnes stant immoti.

TULLIUS ROTUNDUS: Facite statim pergatis comburere archiva!

Iterum omnia fumo nigro obvolvuntur.

AEMILIANUS: Iste Imperator pereat!

ACTUS TERTIUS

NOX IDUUM MARTIARUM ANNI QUADRINGENTESIMI SEPTUAGESIMI SEXTI... *Imperatoris cubiculum dormitorium. A sinistris series fenestrarum. In recessu ianua. A dextris lectus, altera ianua. Medio in cubiculo duo pulvinaria, quibus inter se coniunctis formatur angulus clausus et versus spectatores late apertus. Medio loco inter pulvinaria sito parva mensa humilis lautiuscula. In proscenii parte dextra et sinistra armarium parietale. Nox. Luna plena. Cubiculum in tenebris est situm. Fenestris tantum in pavimento et parietibus areae lucidae delineantur. Ianua in recessu sita aperitur. Apparet Pyramus lucernam trium brachiorum tenens, qua alteram accendit iuxta lectum positam. Tum venit in proscenium lucernamque in mensa ponit. Imperator apparet in ianua dextra. Qui indutus est veste dormitoria aliquatenus detrita. Post eum Achilles.*

ROMULUS: Bonam cenam cum comedissem, alterum tantum balneando recreatus sum. Hic dies fuit patheticus, quales mihi displicent. Tali die nihil mihi prodest nisi balneare. Indoles mea non apta est ad res tragicas, Achilles.

ACHILLES: Maiestas tua optatne togam imperialem an vestem dormitoriam?

ROMULUS: Vestem dormitoriam. Hodie non iam gubernabo rem publicam.

ACHILLES: Maiestas tua oportet adhuc subscribat edicto, quod pandetur populo Romano.

ROMULUS: Hoc cras faciam.

Induit vestem dormitoriam deponitque coronam lauream.

ROMULUS: Ah in meo capite adhuc posita est corona laurea. Balneaturus oblitus eram eandem deponere. Eandem suspende supra lectum, Pyrame.

Dat Pyramo coronam lauream. Qui eam supra lectum suspendit.

ROMULUS: Quot folia restant in corona?

PYRAMUS: Duo.

ROMULUS: Ergo hodie mihi eroganda fuit pecunia ingens.

Considit in pulvinari dextrum.

ROMULUS: Da mihi poculum vini, Achilles.

ACHILLES: Maiestas tua optatne Falernum an Syracusanum?

ROMULUS: Falernum. Tempore hodierno oportet bibatur optimum.

Achilles poculum ponit ante Imperatorem in mensa. Pyramus infundit.

PYRAMUS: Una tantum lagoena Falerni restat nobis, anni septuagesimi, mi Imperator.

ROMULUS: Ergo eandem hic relinquo.

ACHILLES: Mater patriae optat ut loquatur cum Maiestate tua.

ROMULUS: Imperatrix ineat. Non iam egeo lucerna altera.

Camerarii dorsa inclinant et exeunt. Pyramus secum aufert lucernam iuxta lectum positam. Nihil nisi proscenium illuminatur. Recessus positus est in lumine lunae augescente. E recessu venit Iulia.

IULIA: Veni, ut ultimo tecum loquar.

ROMULUS: Induta es veste itineraria, cara uxor.

IULIA: Hac nocte ibo in Siciliam.

Comoediae pars octava in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

4/2002

KALENDIS OCTOBRIBVS

MMII



RVMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 145